

cymbalis & tabula peritissimus, ipsique Ethan eruditione & sapientia quodammodo par, composuit Psalm. 87. Cujus initium, Domine Deus salutis meae; vel potius ejus cantum, quem quia filius Core cantandum praeiit, ideo tum ejus, tum ipsorum nomine inscriptus est. Attamen Philo Libro de temporibus tradit hunc Psalmum longe postea editum in civitate Babylonis, & decantatum assidue per septem annos quibus Joachim Rex Judaeorum carceribus Babylonis fuit oppressus. Idem eximius etiam cantor in cythara propheta super confitentes & laudantes Dominum; composuit Psalm. 39. Dixi custodiam vias meas, vel potius ejus cantum. Porro i. Paralip. 15. fit mentio quatuor generum cantorum coram Arca: primi vocantur cymbaliferae, scilicet Herman, Alaph & Ethan. Secundi vocantur Nabliferae, qui pulfabant psalterium, & octo numerantur. Tertii cytharistae & sex numerantur. Quarti denique tubarum cantores numero septem. supremus autem musicus ibi memoratur Chonemias qui prophetiae praerat ad praecinandam melodiam.

Ex innumeris Psalmis relicti sunt 150. ob mysticam huius numeri rationem ut ait Hieronymus, Augustinus, Remigius Magister sententiarum. Rupertus autem ut fidei, spei, & charitatis praedicet Jubilaeum, ad quas virtutes revocat omnes Psalmos. At vero Divus Thomas ob triplicem statum populi fidelis, scilicet poenitentiae, & haec quinquagena terminatur Psalmo poenitentiali, Misere mei Deus, Justitiae, & haec finitur Psalmo 100. Misericordiam & iudicium. Gloriae, quae definit in Psalmo, Omnis spiritus laudet Dominum.

Quod spectat ad ordinem psalmodum, Beda ait Elsdram de industria non esse secutum ordinem historiae colligendo Psalmos hinc inde sparos in unum volumen, ut in his mysteria potius spectandum scirent. Divus Augustinus hanc ordinis varietatem sancto Spiritui relinquendam censet. Divus Chrysostomus & Euthymius putant id divino nutu & ratione mysteriorum sic factum esse. Vide Augustinum in Psalmo 150. ubi agit de mystico psalmodum numero.

Quaerens utrum Liber Psalmorum sit compendium totius Theologiae scripturarum.

Respondeo affirmativè cum Divo Hieronymo, Basilio, Augustino &c. Nam psalmi per modum laudis comprehendunt quidquid in sacra Scriptura continetur, estque Liber Psalmorum consummatio totius Theologiae scripturarum, & altissima quaedam Theologia carmine conscripta. Liber hic inquit divus Augustinus, quaecumque utilia sunt ex omnibus continet, futura indicit, rerum gesta commemorat, legem viventibus tribuit, & communis quaedam bonae doctrinae thesaurus est, aptè singulis necessaria ministrans. Similia, imò longe plura divus Basilius prooemio in Psalmos habet. Liber hic, inquit, bonae omnis doctrinae uberrimum quoddam est & commune promptuarium &c.

Ceterum qui singulorum Psalmorum specialem & brevem ideam requirit, videat Genebrardum in Psalmo: si autem paulò ampliorem quaerat, videat criticam nostram Theologiam & Asceticam Libri Psalmorum, in qua breviter aspicuntur sensus literales & mystici singulorum psalmodum, & consideratio moralis additur, & fructum indicat ex quolibet psalmo carpendum.

EXERCITATIO ANALYTICA ET THEOLOGICA IN CANTICUM CANTICORUM.

PROOEMIUM.

Canticum Canticorum est Epithalamium seu carmen nuptiale amoris & laetitiae, spectans ad sponsum caelestem & Ecclesiam. Hinc enim procul Rabbinicum commentum de amoribus Abisag Sunamitidis, vel filiae Pharaonis. Totum igitur hoc canticum, ut testantur Divus Athanasius, Augustinus, Origenes, & alii Patres, pertinet ad sanctos & divinos amores verbi incarnati & Ecclesiae tum veteris tum novae. Oratio autem Libri huius tota est figurata seu symbolica & aenigmata. Vide Augustinum de Genesi ad litteram, l. 8. c. 1. At vero Divus Athanasius, sic ait: Totus hic Liber plenus est dialogorum veteris populi ad verbum, & summatis humani generis ad verbum, & Ecclesiae ex genti-

bus ad idem, & rursus verbi ad eandem, & ad genus humanum. Deinde gentium ad Jerusalem, & Jerusalem ad Ecclesiam ex gentibus, & de seipisa dialogus. Postea & ministrantium angelorum ad homines vocatos praedicatio. Sunt itaque veteris populi precantis Dominum ut descenderet, & carni conjungeretur, ista: Osculetur me osculo oris sui. Introducuntur autem in hoc cantico 4. genera personarum colloquuntur ad majorem carnis iucunditatem, & uberio-rem emphasim, scilicet, sponsus & sponsa, sodales sponsi, & adolescentulae sociae sponsae: Et hoc in decem colloquutionibus in quibus sacrum hoc canticum dividitur.

QUESTIO PRIMA.

Utum sacrum hoc Canticum sit pictura symbolica status ac praecipuorum eventuum Ecclesiae Dei ante adventum Messiae.

Respondeo affirmativè ex sanctis Patribus in prooemio citatis, & insignibus quibusdam Theologis. Picturam hanc breviter calamo perstringo, quia viva vox dabit uberius. Primo igitur depingitur Ecclesia adhuc nascens & parvula primis mundi saeculis, seu tempore Patriarcharum; quae exhibetur instar filiae principis jam à teneris desponsatae filio magni Regis, etique in uxorem promissa, quae parvula & adhuc ferè lactens jam languet amore sanctissimi sponsi, & oblita parentum, omnia habere sibi videtur in uno sponso, qui fit ipsi instar & sponsi & fratris, ac patris; imò quod mirum est instar matris ac nutritis, unde desiderat ubera eius fragrantia unguentis optimis. Cum ergo praerardenti charitate deliquium patiat, offerunt ipsi sociae ejus adolescentulae aromata quorum odore recreatur & quasi reviviscat; sed illa haec omnia à se ablegans ait, se non posse aliis odoribus recreari, quam osculis divini sui sponsi; Osculetur me, inquit, osculo oris sui. Tum memoratur vocatio Patriarcharum Thare, Abraham, Isaac, & filiorum ejus peregrinatio c. 1. v. 3. Trahe me post te curremus in odorem &c. Et quia sancti isti Patriarchae ut notat Apostolus, quasi inquirentes aliam & manentem civitatem in caelis, habitabant tantum in tabernaculis & tentoriis, ideo Ecclesia haec sic peregrina & despiciabilis inter ceteras gentes, quae gloriabantur urbis munitis & turribus, ait, Nigra sum sicut tabernacula Cedar, scilicet in conspectu hominum; sed formosa sicut tentoria Salomonis, in conspectu Dei, & sponsi mei, &c.

2°. Agitur de Ecclesia seu populi Dei multiplicatione maxima facta in Aegypto c. 1. v. 11. Dum esset Rex in accubitu suo &c. Sed quia tunc maximas passa est ab Aegyptiis calumnias & persecutiones,

3°. Describitur haec oppressio à v. 12. usque ad cap. 2. v. 2. Sicut lilium inter spinas, sic amica mea inter filias. Nam lilium quo magis pungitur à circumstantibus spinis, eo suaviores effundit odorem. Sic magis enituit Ecclesia innocentia & simplicitas inter illas calumnias, unde sponsus ad ipsam, Ecce tu pulchra es amica mea, oculi tui columbarum c. 1. v. 14.

4°. Depingitur exitus ex Aegypto c. 2. à v. 3. ubi ait; sub umbra illius quem desideraveram sedi, id est, sub umbra nubis, quae apparuit in exitu Rameffis & Socoth Exod. 13. Deinde fit mentio Mannae: Et fructus ejus, inquit, dulcis gutturi meo. Item quod acceperit legem in monte Sinai v. 4. Introduxit me in cellam vinariam ordinavit &c. Nam leges primae tabulae ordinabant charitatem in Deum; leges secundae tabulae in proximum. Rursus v. 8. fit mentio columnarum nubis deducentis Israel per desertum: Ecce, inquit, iste venit saliens in montibus, transiens colles, & item, En ipse stat post parietem nostrum &c. Nam veluti ex cancellis respiciebat Deus ex nube Israel. Rupertus per cancellos intelligit sanctos Patriarchas; & per fenestras sanctos Prophetas, quibus manifestius quam Patriarchis se prodidit Christus.

5°. Depingitur invitatio ad ingressum terrae promissionis c. 2. v. 10. En dilectus meus loquitur mihi. Surge, propera, flores apparuerunt in terra nostra. Sed statim v. 15. videtur indicari rebellio exploratorum qui detrahunt terrae: Capite, inquit, nobis vulpes parvulas quae demoluntur vineas. Quamquam Petrus Verbilis insignis Theologus id dictum putet de rebellione Amalec.

6°. Describitur evagatio per desertum donec aspires dies ingressus in terram promissionis. Hic autem describitur praesertim c. 3. v. 2. Surgam, inquit, & circuibō civitatem. Tum sequitur ingressus in terram promissionis c. 4. & transitus per Jordanem, ubi ait, Sicut greges tonfarum quae ascenderunt de lavacro, Et rursus, Quae ascenderunt de monte Galaad. Depingitur item terrae contemplatio; Veni de Libano &c. & invitatio ad terram istam, coronaberis &c. c. 4.

7°. Realis introductio in terram promissionis narratur; Veniat dilectus meus & comedat fructum &c. c. 5. & quia manna tunc defecit gustatis fructibus Terrae sanctae, ait, comedam favum cum melle meo.

8°. Synagoga usque ad Salomonem exaltatio, ejusdemque sub iudicibus liberatio c. 5. v. 7. Percusserunt me & vulneraverunt me. Exaltatio autem c. 6. Pulchra es amica mea &c. c. 6. v. 3. & v. 8. una est columba mea, & viderunt eam filiae Sion &c. & c. 7. v. 1. quid videbis in Sulamite nisi choros castrorum: & v. 7. statura tua assimilata est palmae.

9°. Proponitur plebis Israeliticae eruditio & sapientia tempore Salomonis c. 8. praesertim v. 10. 11. 12. ego murus, & ubera mea sicut turris, vinea fuit pacifico. Vineae autem Domini Sabbaoth domus Israel est. Haec ergo fuit pacifico, id est, Salomoni erudienda per proverbialia, per parabolas, & alia quorum fragmenta adhuc videmus, in Libris Salomonis.

10°. Denique vox sponsae seu colloquium cum sponso caelesti, est de sponsi aeterni inhabitatione in populo Israel, relicti gentilibus populis. Unde dicit tam in fine cap. 2. supra, quam in fine 8. Fuge dilecte mi, & assimulare caprae hinnuloque cervorum super montes aromatum, id est, morare in monte Sion, in templo Salomonis, ubi perpetuo fumigantur tibi aromata, thymiamata, & incensum. Et licet Deus sit invisibilis & immensus, quia tamen dignatus es habitare in hoc monte tuo nomini fumigantur, fac sicut caprae & hinnuli cervorum solent. Nam sicut haec animalia fugere solent conspectum hominum, quasi vellent esse hominibus invisibiles, apparent tamen interdum in transcursu pastoribus qui morantur in montibus & sylvis. Ita tu Deus natura invisibilis manifesta te interdum stas temporibus pro effectus largitatis & benevolentiae tuae; in monte & templo Sion, relicti nationibus quae colunt idola nec fumigant aromata nomini sancto tuo.

QUESTIO SECUNDA.

De prophetica & mystica expositione Cantici Canticorum.

Præter sensum allatum quem opinamur litteralem, est alius sensus mysticus, in quo desudarunt plures sancti Patres cum Divo Athanasio, sensus autem ille nobis exhibet quandam picturam propheticae rerum à Christo gerendarum in nova Ecclesia. Et 1°. quidem agitur praesertim de incarnatione verbi & unione humanitatis cum deitate, in hoc toto sacro cantico. Vide Rupertum qui id mirifice ostendit. Patetque ex ipsis verbis sponsae dicentis: Quis dabit te frater mi, fugentem ubera matris meae, ut inveniam te foris, & osculetur te, & jam, me nemo despiciat. Christus enim antea erat intus, id est, in sinu patris latebat intus sub velamine literae legis, & aenigmatum Prophetarum; sed nascens ex virgine, & mundo per miracula & praedicationem se manifestans, apparuit foris, & animae fideles ipsum cognoverunt, & osculate sunt, & venerabiles factae sunt propter relucens sanctitatem morum, plerumque etiam miraculis junctam, unde ait, & me nemo despiciat.

2°. Agitur de vocatione non solum Judaeorum ad fidem Christi, sed etiam gentium & quidem de vocatione multorum fidelium à synagoga sermo est, ubi dicit sponsus, Surge, veni amica mea, formosa mea, imber abiit &c. c. 2. v. 10. tempus enim advenerat in quo praescindendi erant rami inutiles & reprobi de filiis Israel, ut insererentur rami electi de populis gentium, ut latius exponit Apostolus in Epistolis, dum ostendit ramos tantum electos servatos esse de synagoga, alios vero inutiles resectos: Reprobatio Judaeorum est salus gentium. Postquam autem Jerusalem ad se vocavit sponsus, advocat deinceps & eos qui sunt ex gentibus, ut ait Divus Athanasius; unus est enim & Judaeorum & gentium Dominus.

Veni, inquit, de vertice Sanir, de cubilibus leonum, de montibus pardorum c. 4. v. 8. Ecclesiam enim gentium ab idololatria, moribusque ferinis ad fidem vocat, eamque ad se conversam vocat deinceps speciosam tanquam Jerusalem, id est, tanquam animas fideles & sanctas Patriarcharum, & Prophetarum qui floruerant antea in synagoga, seu in populo Hebraeo.

3°. Ecclesia ex gentibus vocata, & jam compuncta sic alloquitur sponsum: indica mihi quem diligit anima mea, ubi pascas &c. c. 1. v. 6. nam per experientiam edocta, inquit, divus Athanasius, quam facilis sit in multis mutatio & inconstantia, pro confirmatione & corroboracione deinceps precatur, ne iterum accidat quod antea perpessa fuerat, ut curteret post deos alienos.

4°. Consolatur eam sponsus, scilicet invitans ad humilitatem & sui ipsius cognitionem: Si ignoras teipsum, inquit, o pulcherrima inter mulieres, egredere &c. c. 1. 7. nemo siquidem Deum cognoscere potest, nisi primum cognoscat se ipsum.

5°. Jerusalem videns gentium conversionem, Filio Dei per Prophetarum oracula promisso, dicit suspensa: Quid videbis in Sulamite quae egreditur sicut chori castrorum. c. 7. v. 1. non enim ex una gente, sed ex omnibus venerunt, propria castra relinquentes, & gladios suos confringentes, & perinde quae pacis sunt sapientes.

6°. Collecta Ecclesia ex gentibus videns admirationem Jerusalem, imò & querimonias quorundam de filiis & filiabus ejus, se ipsam modeste defendit, ostendens quod non frustra sit vocata. Nigra sum, ait, sed formosa, filiae Jerusalem. Nolite me considerare quod denigrata sum, quoniam intuitus est me sol, id est, dignatus est filius Dei sol justitiae me intueri & vocare ad se, & charitatis ardoribus inflammare; quae charitas relucet maxime in passione multorum meorum martyrum. Nam filii matris meae pugnaverunt contra me, id est, populi gentiles ex quibus orta sum. Quia vineam patrum meorum non custodivi, non servans cultum Idolorum in quo erudierant me patres mei; postuerunt enim me custodem in vineis, vineam meam non custodivi, sed illa relicta confugi ad vineam Domini Sabaoth, & juncta sum populo fidei & Hebraeis credentibus in Christum. Nigra sum igitur propter originem ex gentibus, ad sub ipso sole sum; quamvis enim praepunita sum, Idolis tamen renuntiavi, & è domo patris mei egressa sum sicut Abraham, & eadem fide sicut ille praedita sum. Quapropter oro vos, ducite me in cellam vinariam, ordinate in me charitatem, servate me in unguentis, stipate me pomis, quoniam dilectione vulnerata sum. Nolite praepunitum attendere, sed in charitate me suscipite. Et si feditate putida sum, tu me tamen sponse instrue, & fragrantia tua confirma.

7°. Ad filias Jerusalem dicitur, adjuro vos in virtutibus & potentis agri, si excitaveritis & evigilare feceritis dilectam donec ipsa velit, adjuro vos, o patres, non adversus potentias, non enim id licet, sed in potentis paradisi, ut in illam insipientes, sicut Adam, ita & me suscipiatis, nimirum & in Adam non erat circumcisio, sed praepunitum, ipsumque tamen excepit paradisi, quamdiu in ipso resulset fides cum innocentia.

8°. Descendi in hortum nucum ut viderem germina torrentis, num floruerint mala punica. In hortum nucum, id est, in sacras Scripturas veni, quae instar nucum sunt foris durae, intus spirituales & delectabiles, non cognovit anima mea, imposterunt me curribus Aminadab. Vidi, inquit, quod jungenda sum velut in curru vocationi populorum fidelium.

9°. Conjugatis igitur utrisque populis in orbem terrarum emissa est praedicatio & hujus quoque administrati sunt Angeli dicentes: egredimini & videte Salomonem in corona qua coronavit ipsum mater ejus in die desponsationis ejus, & in die laetitiae cordis ejus.

10°. Denique dicit sponsus ad Ecclesiam, quae habitas in hortis, amici auscultant; fac me audire vocem tuam. Habitantem in hortis vocat Ecclesiam, quia virtutum indulget cultui. Ita Cassiodorus, Rupertus, Gregorius, Rupertus vero sic vocari censet, quia studio detineatur scripturarum, quas esse ait hortos uberrimos & pulcherrimos. Habebit enim semper Ecclesia verbum Dei in ore suo, praedicando, orando, psallendo, quo spectare ait illud; sonet vox tua in auribus

meis, fac me audire vocem tuam. quod autem additur amici auscultant, exponit Rupertus per id quod dicitur in psalmo. In conspectu angelorum psallam tibi.

Respondet sponsa v. ultimo sacri cantici. Fuge dilecte mi &c. Quae verba mystice spectant mysterium ascensionis. Sponsa igitur in virtute jam perfectior effecta, cupiensque deinceps conversationem suam totam habere in caelis, concedit sponso suo, ut evolet in caelum, expleto incarnationis & passionis mysterio. Hortatur ergo sponsum ut oculos mortaliū fugiat, quia jam & ipsa sequi potest terrena fugiens, & cupiens sponsum in caelo regnare, ut ipsum homines non jam sicut hominem tantum, sed sicut Deum super omnia regnantem cogitare incipiant, dum ibi super montes aromatum requiescit, id est, super omnem principatum angelorum, & super mentes beatas hominum qui angelorum confortes esse meruerunt. Tota hic liber contemplativus est, & ita arcanus ac sublimis tantae reverentiae apud Hebraeos, ut nemini liceret ipsum legere, nisi post 30. aetatis annum.

EXERCITATIO ISAGOGICA.

Ad Elegias sacras Jeremiae Prophetae.

Jeremias idem est quod excessus. Quippe in mysteriis & majestate sensuum profundissimus est. Coepit prophetare admodum adolescens, unde initio ait, a, a, a, puer ego sum, prophetavitque per spatium 40. vel 42. annorum, sermone quidem inculco, & proxime subulco, sed sensuum majestate sublimi. Cum autem jam provectus esset aetatis scriptit hanc lamentationem, cujus praefatiuncula, quam habent Graeci & Latini codices, non est apud Hebraeos, quare videtur apposita a 70. interpretibus. Nam Baruch Hebraice scripsit. Quidquid sit est antiquissima, & ideo in textu sacro apposita; quamquam multi eruditi putent non esse censendam scripturam. Hic Liber dicitur ab Hebraeis, Echa, id est, quomodo, sumpto primo vocabulo pro titulo, ut fit in aliis scripturis Libris, praesertim quia est tantum sectio quadam, & pars Prophetiae Jeremiae.

QUESTIO UNICA.

De argumento, Artificio, & Metro Lamentationum.

Divus Hieronymus, in Zachariam c. 12. Hebraei, Chaldaei, & Maldonati existimant argumentum hujus Libri esse cladem & mortem Josiae Regis Juda in campis Mageddo, voluntque Jeremiam hanc cladem & necem regis hic plangere, probantque ex 1. Paral. 35. v. 24. ex quo constat Jeremiam plangisse Josiam. Refellit vero haec sententia quia in threnis nostris plangit Jeremias & excidium, & vastitatem Jerosolymorum, cum tamen tempore Josiae non fuerit capta nec vastata Jerusalem. Vera igitur sententia est, triplicem esse argumenti threnorum speciem. Sub prima desinet Jeremias, templi, urbis, & regni excidium sub Nabuchodonosor, Regisque Sedeciae, ac totius populi captivitatem, causamque agnoscit esse violationem divinae Legis. Sub secunda depingit Prophetice excidium urbis & gentis Judaeorum sub Vespasiano & Tito, inquit, Quomodo sedet sola civitas &c. Tandem assignat veram causam cap. 3. scilicet, mortem Christo Domino illatam, cujus passionis & mortis praecipuas circumstantias depingit c. 3. sub tertia plangit Prophetam animam fidelem, quae quondam plena fuerat numerositate virtutum, & imperabat diversis affectibus, dominans concupiscentis carnis, postea autem a malignis spiritibus flammis libidinis succensa, destituta angelorum solatio, & carens divino consortio tot servit tyrannorum sceptris, quot vitis. Ita Divus Hieronymus.

Artificium hujus carminis majus est quam in ceteris Prophetis, & aliis carminibus usitatis in scriptura. Constat enim haec lamentatio quadruplici alphabeto ita ut quaelibet strophae incipiat ab una littera alphabeti ordine servato. Prima igitur strophae incipit ab Echa, i. quomodo, quae vox Hebraea incipit ab Aleph. Secunda a Beth, &c. Ceterum carmina Hebraica constant, non certo numero pedum & temporum, id est, syllabarum longarum & brevium, ut apud Graecos & Latinos, sed certo fere numero syllabarum. Sicut David psalmus 118. Ita Jeremias hic sequitur ordinem

litterarum alphabeti, ut per eas quasi per elementa omnium scientiarum nobis aperiat arcanas quasdam veritates altissimae ejusdem Theologiae de Christo & de vera cordis computatione, qua anima lapsa, liberatur a servitute. Rupertus in his alphabeti litteris mysticum quoddam agnoscit. Divus Hieronymus Epist. 155. ad Paulam urbicam; alibi rursus Hugo, & Divus Thomas, denique tripliciter cap. tertio alphabetum, ita ut tres consequentes versus incipiant ab Aleph. Tres a Beth &c. ad imaginem & multiplicationem doloris, quia ibi depingit Prophetam passiones Salvatoris.

In capite 1. sub singulis litteris terni dodeca. syllabi versus concluduntur. In capite 2. terni quoque versus sub una eademque littera continentur, quorum primus sex decim, reliqui duo 12. syllabarum sunt. In cap. 3. terni versus non solum sub una littera ponuntur, sed ab eadem singuli inchoantur, quorum unus non servato ordine quatuordecim, alius 12. syllabarum esse solent. In capite 4. sub una littera bini versus continentur. Sunt ergo in capite 4. versus dimetri: in 1. 2. & 3. trimetri. Atque hinc intelliges cur Divus Hieronymus Epist. 155. ad Paulam urbicam dixerit, harum lamentationum versus quasi Sapphico metro esse conscriptos, id est, trimetro. Nam alioqui pedes & numeros sapphici carminis non habent, ut recte notat Cornel. a Lapid. at quis numerus & mensura eorum sit jam ignoratur.

EXERCITATIO ANALYTICA

IN LAMENTATIONES JEREMIAE.

QUESTIO PRIMA.

De Lamentatione Prima.

Caput I.

Obstupescens tantam Jerosolymae, regniq; Judaici cladem, exclamat Propheta praedolore: Quomodo sedet sola civitas, quae paulo ante plena erat populis: commendantur enim urbes magnae ex 12. capit. 1. Ex civium numerositate. 2. Ex dominatione in multas provincias. Utriusque autem hujus praerogativae amissionem hic desinet Propheta, & 10. sequentium praerogativarum amissionem plangit 10. sequentibus versus. commendantur urbes, 3. a latetia & jucunditate. 4. A securitate. 5. A multiplici solemnitate. 6. A pace & tranquillitate. 7. A fortitudine bellica. 8. A prosperitate & rerum affluentia. 9. A laude & fama. 10. A pulchritudine. 11. Commendabatur Jerusalem a cultu divino, & sanctitate ceremoniarum, quam tamen sanctitatem vidit violatam, dum gentes ingressae sunt sanctuarium, & Sancta Sanctorum, quibus nec licebat ingredi in Ecclesiam, seu in partem templi in qua stabat populus fidelis. Est ergo in hoc v. 10. argumentum in Kalvahomer. Denique 12. commendabatur Jerusalem a satietate seu ciborum abundantia; & nunc omnis populus gemit quarens panem &c. Plangit itaque Jeremias per antithesin statum praesentem urbis Jerusalem comparatum statui priori, & ut commiserationem moveat repraesentat civitatem spoliatam suis excellentiis & praerogativis prioribus.

v. 12. Per prosopopoeiam introducit ipsam Jerusalem lamentantem seipsam. O vos omnes, inquit, qui transitis per viam. Ostendit autem haec civitas excessum suae miseriae per quintuplicem metaphoram a quinque generibus hominum, quae omnia spoliant sumptam. 1. Ex similitudine vindemiae, qui nihil relinquit in vinea sua si potest. Vindemiavit me ut locutus est Dominus in die irae furoris sui. Secundo incendiarii, qui solet totum comburere v. 13. de excelso misit ignem in ossibus meis, id est, in castellis meis, ut insinuat in textu Hebraeo. 3. Venatoris qui totum id quod caedit in rete suam interficit. Expandit rete pedibus meis &c. 4. Satellitis ligantis captum per manus & collum v. 14. 5. Calcantis in torculari qui nulli ragemo parcat, sed exprimit, ut nullum relinquat humorem in uva, si potest v. 15. abstulit omnes magnificos meos, torcular calcavit &c.

v. 16. Jerusalem desinet implacabilitatem Dei, qui non post flecti nec lachrymas v. 16. ego plorans & oculus meus deducens aquas. Nec secundo flecti potest expansione jugi manuum ad ipsum, & variis humilitatis & devotionis exterioribus signis v. 17. Expandit Sion manus suas, non est qui consoletur eam.

QUESTIO TERTIA.

De Lamentatione tertia quae potissimum est de Christo.

Caput II.

v. 18. Fatetur hoc provenire ex aequitate divinae justitiae; intentus est, inquit, Dominus. Ac deinde dicit Deum ei implacabilem, non fuisse tamen injustum; 1. Tradendo excellentes ex urbe in captivitatem; Virgines, inquit, meae, & juvenes mei abierunt in captivitatem. 2. Flagellando fame remanentes in civitate v. 19. 3. Morte plectendo hos & illos v. 20. Foris interficit gladius, & domi mors similis est.

Denique praestolat divinam clementiam & consolationem futuram v. 21. & 22. Ubi 1. aperit inimicorum crudelitatem: Audierunt, inquit, quia ingemisco, & lacati sunt. 2. Promittit sibi consolationem divinam & ultionem de hostibus. Adduxisti, inquit, diem consolationis, & sicut similes mei. 3. Explicat in quibus futura sit inimicorum punitio v. 22. ingreditur omne malum eorum coram te, & vindemia eos.

QUESTIO SECUNDA.

De Lamentatione secunda.

Caput II.

Sicut in prima Lamentatione planxerat Jeremias Jerusalem, ita in secunda plangit totum regnum Juda, quod similiter facit ordine litterarum Alphabeti. Ostendit ergo priorum regnum regni Judaici, ex 12. felicitatis gradibus quibus hoc regnum aliis antecellebat. 1. Quidem fertilitate soli, adeo ut diceretur terra inclita, pinguis, & manans lacte & melle. Unde exclamat v. 1. Quomodo obtexit caligine. 2. Populorum nobilitate & praestantia, stirps enim David regnabat in illo, v. 2. praecipitavit Dominus. 3. Fortitudine militum. v. 3. confregit omne cornu, id est, robur Israel. 4. Venustate arborum & humi amenitate v. 4. occidit omne quod pulchrum visu erat. 5. Urbes & castella habebat munitissima, v. 5. dissipavit munitiones ejus &c. 6. Locus ipse templi dignitate sanctissimus erat, v. 6. demolitus est tabernaculum suum. 7. Sacrificiorum frequentia, v. 7. repulit Dominus altare suum, maledixit sanctificationi suae. 8. Urbis metropolitanae, scilicet Jerusalem, nobilitate & excellentia, v. 8. cogitavit Dominus dissipare murum filiae Sion. 9. Ceterum doctorum divina sapientia & prophetiae spiritu illustrium, v. 9. sed nunc defixae sunt in terra &c. non est lex & prophetae ejus non invenerunt visionem a Domino. 10. Honore & reverentia populi, tum ob senes & virgines, tum ob sanctimoniam vitae &c. Sed nunc federunt in terra, conticuerunt fenestrae filiae Sion &c. v. 10. 11. Ingenti copia parvulorum. Sed nunc deficiit parvulus & lactens in plateis oppidi. v. 11. 12. Annonae & victus copia; sed nunc matribus suis dixerunt parvuli, ubi est triticum & vinum, cum deficerent quasi vulnerati & exhalarent animas suas in sinu matrum suarum, v. 12. haec de prima parte hujus cap.

Secunda pars est a v. 13. ad 17. ubi Propheta populum alloquitur, eique ante oculos ponit, 1. Magnitudinem suae poenae v. 13. cui comparabo te &c. 2. Originem suae culpae v. 14. Prophetae tui viderunt tibi falsa. 3. Irrisionem gentium vicinarum, quarum nulla ipsi compatiatur v. 15. plauserunt super te manibus. 4. Exultationem inimicorum v. 16. Aperuerunt super te os suum omnes inimici tui. 5. Justam Dei punitionem, tantamque cladem non esse factam casu, sed solum praedestinatione iustae Dei sententiae v. 17. fecit Dominus quae cogitavit.

Tertia parte docet Propheta populum. 1. Orare & clamare v. 18. clamavit cor eorum ad Dominum. 2. Plorare v. 19. effunde sicut aquam cor tuum. Et v. 18. deducant quasi torrentem lachrymas. 3. In plorando perseverare: non des requiem tibi neque taceat pupilla oculi tui. v. 18. 4. Noctui in oratione vigilare: consurge lauda in nocte v. 19. leva ad Deum manus tuas, ibid.

Quarta parte subnequit orationem qua nititur divinam movere misericordiam, allegando 1. Dei magnificentiam & vilitatem propriam v. 20. vide Domine & considera. 2. Infelicem civitatem multa jam perpeffam, quae in tribus constituit, scilicet quod mater comederit filios, quod Propheta & sacerdos occisi sint in sanctuario; quod nulli arati pepercit gladius. v. 20. Ergone comedent mulieres fructum suum, &c. & v. 21. jacuerunt in terra &c. 3. Denique hostium immanitatem, ut Deus magis compatiatur v. 22. vocasti quasi ad diem solemnem qui terrerent me.

Tom. V.

IN hac tertia Lamentatione exhibet Jeremias quae ipse passus est a Judaeis in obsidione & interitu Jerusalem, praesertim a principibus populi & sacerdotum, puta carceres, vincula, famem, verbera &c. quibus a propriis civibus affectus fuit. scilicet in se ipso representans quae passus erat Christus a civibus suis. Unde in signum majoris meritis tripliciter alphabetum hoc tertium.

Ego vir videns paupertatem meam, in Hebraeo & Chaldaeo textu, afflictionem meam, itemque meorum civium immisissam in virga, id est, per virgam indignationis divinae. Quasi dicerent Prophetae priores, ut Isaias, Sophon. aliique jam defuncti viderunt eminus & praedixerunt cladem praesentem; & Ezechiel nunc in Babylone eminus audivit, & ego ipse in spiritu Dei ante praevidi, ut habetur Jerem. c. 1. v. 11. sed nunc praesens heu me! oculis cerno hanc miserimam cladem, cujus & pars maxima sui.

Induit ergo in hac tertia Lamentatione Propheta personam, 1. Depingentis & desentis suam multiplicem calamitatem a v. 1. ad 17. me minavit in tenebras, & non in lucem, id est, me adduxit in tenebricosum carcerem, in quo non erat lux. Item me constituit in lacu profundo, cujus os quasi sepulchrali lapide obscurum erat. Lege quae passus est Jeremias prophetae cap. 30. & 38.

2. Induit personam expectantis & implorantis Dei auxilium & clementiam a v. 18. ad 22. Recordare paupertatis &c. 3. Confitentis firmiter & expectantis clementiam Dei a v. 23. ad 35. Pars mea Dominus dixit anima mea &c. 4. Refellit dicentes captivitatem non esse ex ordinatione Dei a v. 36. ad 40. quis est iste qui dixit ut fieret Domino non jubente. 5. Confitetur peccata populi sui a v. 40. ad 54. scrutemur vias nostras &c. 6. Praevidet consolationem divinam a v. 55. invocavi nomen tuum Domine de lacu novissimo & profundissimo. Vocem meam audisti. Judicasti Domine causam animae meae, &c. usque ad v. 64. in quo & duobus reiduis intuetur ultionem de hostibus suis, & populi Dei: Reddes eis vicem Domine &c.

QUESTIO QUARTA.

Quomodo tres praefatae Lamentationes in sensu literalis & primario intelligantur de Christo.

Ecclesia quae legit has Lamentationes in hebdom. sancta per hoc ipsum innuit prophetice fuisse praenuntiatas de Christi passione, & subsequente totius Judaeae & Jerosolymae depopulatione ob Christi occisionem. Et revera sancti Patres & interpretes agnoscunt haec omnia adaequate & perfecte adimpleta esse in excidio Jerusalem, non per Chaldaeos, sed per Romanos, Vespasianum & Titum.

Itaque quod Christus flevit super Jerusalem dicens, si cognovisses & tu... quoniam circumdabant te &c. hoc ipsum in persona Christi desinet Jeremias dicens cap. 1. Quomodo sedet sola civitas &c. quae toto hoc cap. 2. continentur. In cap. autem tertio Propheta in persona Christi, 1. Lamentatur suam expoliationem, qua exuerunt eum milites v. 1. Ego vir videns paupertatem meam. 2. Captionem & alligationem quae facta fuit nocte a cohorte & tribunis; me minavit & adduxit in tenebras. 3. Vexationem in domo Annae & Caipha, & colaphisationem; Tantum in me vertit, & convertit manum suam, id est, reciproca manus conversione in utramque genam colaphizatus sum. 4. Pedum conclavationem & alligationem, ubi ait, Circumdidicavit adversum me, & non egrediar, aggravavit compedem meum. 5. Exclamationem in cruce absque exauditione ut videbatur, cum clamavit, Deus Deus meus, ut quid dereliquisti me? unde ait v. 3. sed cum clamavero &c. 6. Blasphemationem praesentium & illusionem de qua Math. 27. v. 39. unde ait, Ursus insidians factus est mihi &c. 7. Potationem & cibationem ex felle & aceto v. 35. replevit me amaritudinibus; inebriavit me absinthio. 8. Solitudinem & derelictionem omnium suorum, excepto latrone, de cujus conversione ait, Memoria memor Cccc